



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Brevis Et Vtilis Commentarivs In Priorem Epistolam Pauli
ad Corinthios, & in aliquot capita secundæ**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 2618

Alioqui quid facient, qui bap^tisantur pro mortuis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36296

I. EPISTOLA AD

rentiam complectimur, tamen generaliter intelligo aboleri & imperia mundi, & potentiam Diabolorum, & ministeria angelorum & Ecclesiæ. Imò & auxilia cibus, & aliarum creaturarum, quia tunc Deus se ostendet immediatè, & uiuificabit beatos, immediatè effundens in eos suam lucem, sapientiam, iusticiam & læticiam. Hanc sententiam & postea dicitur: Deus erit omnia in omnibus, scilicet, nos per ministerium Euangelij regens, sed immediate se ostendens, uiuificans, & effundens in beatos suam mirandam lucem, sapientiam iusticiam & læticiam.

ἐπεὶ τί ποιήσασιν οἱ βαπτισθέντες
τῶν νεκρῶν.

Alioqui quid facient, qui baptisantur pro mortuis.

Constat nunc, etiam cum infantes baptizantur, tamen recitari articulos Symboli, ut uocant. Id exemplum sumptum est à prima Ecclesia, in qua optimo consilio institutum fuit, ut fieret planissima professio singulorum articulorum. Et scribunt quidam, adductos esse baptizandos ad ossa mortuorum, & ibi professos esse

esse articulum de resurrectione mortuorum, & interrogatos, an crederent hos ipsos reuicturos esse, quorum ibi ossa inuenerentur, respondisse, futurum, ut his ipsis uita restitueretur.

Quanquam autem hic ritus non fuit uniuersalis, tamen omnes in Baptismo ubique planissime professi sunt, se firmissima fide resurrectionem mortuorum credere. Etsi multae interpretationes de hoc loco traduntur, tamen ualde consentaneum est, hanc simplicem interpretationem natiuam & ueram esse: βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, id est, βαπτίζομενοι ὁμολογῶντες ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Bapantur pro mortuis, id est, profitentes de mortuis. Nam praepositio ὑπὲρ hanc significationem professionis continet, non significat uices, ἀντί. Non hoc inde ratiocinari necesse est, aliquos per Vicariam personam Baptismo initiatos esse. Ibi enim dicendum fuisset, ἀντί νεκρῶν. Haec utcumque considerantibus Graecae linguae usum, manifestissima sunt, ut ὑπὲρ ἄλλο ἀπολογεῖται non ἀντί ἄλλο. Possem & alias recitare interpretationes. Sed hac contentus ero, quia non dubium est, in Baptismo ubique factam esse professionem Symboli.

I. EPISTOLA AD

τίς ἡμεῖς κινδυνεύομεν.

Argumentum de resurrectione sum-
ptum à presentibus ærumnis. Si non
restaret alia uita, non esset discrimen inter
iustos & iniustos, & iusti stultè sustinerent
in hac uita tantos labores & tantas ærum-
nas: Sustinent autem certa spe futuræ tran-
quillitatis. Igitur Ecclesia uerè sentit no-
stare aliam uitam. Inserit autem admo-
tionem, ut uitent praua colloquia, & uis-
sus est memoria dignus:

φθείρουσιν ἡθὴ κακοῦ ὁμιλία κακαί.
Et apud Aeschylum dicitur: οὐδὲρ κάκῳ
κακῆς ὁμιλίας.

ἀλλ' ἔρῃ τις πῶς ἐγείροντ' οἱ νεκροί

*Sed dicet aliquis, quomodo
surgunt.*

VOCI diuinæ credendum est, etiam si
non scimus, quomodo effecturus sit
Deus ea, quæ promittit, aut prædicat se fa-
cturum esse, sicut Moysen credere oportuit
petram percussam effusuram esse ma-
gna flumina aquarum. Sed humana diffi-
dencia interrogare solet de Modo, quomodo
Deus sua miracula effecturus est. Repre-
mit autem hic interrogantes, opponens
familiare exemplum in natura: Cum non
sciamus,